

tem et immortalitatem. Aut Paulus intellexit hoc mortale corpus, aut aliud? si aliud intellexit, cur dicit hoc corruptibile induet incorruptibilitatem, et hoc mortale induet immortalitatem. Porro Paulus Rom. IV, 17. dixit: *Deum uiuificare mortuos*, i. e. corpora mortua, anima enim non moritur, ergo anima non uiuificatur. Homines occidere possunt corpus, non uero animam, Matth. X, 23. Christus docuit, impiorum corpora tota conici in infernum Matth. V, 29. 30. Vti tota impiorum corpora coniciuntur in infernum, ut puniantur; sic tota piorum corpora reducentur in coelum, ut coronentur. Ipsa phrasis, resurrectio mortuorum, et resurrectio ex mortuis Col. I, 18. Apoc. I, 5. inuoluit resuscitationem eorundem corporum. In eo enim posita est resurrectio, quod id, quod antea fuit corpus mortuum et corruptum, restituatur uiuum. Anima, quae uiua semper manet, non dicitur resuscitari, quia nunquam mortua, corpus uero resuscitatur. Nos Saluator docuit Ioh. V, 28, 29. *Omnes, qui in monumentis sunt, audient uocem ipsius, et exibunt. Si mortui ex monumentis exibunt, eadem habebunt corpora, quae antea habuerunt. Si dixeris, corpora erunt diuersa, quaeritur, cur ex monumentis exibunt? cur mortui exibunt? cur uiuificantur eorum corpora mortua?* Porro, qualis fuit resurrectio particularis, tempore mortis et resurrectionis Christi facta, talis beatorum uniuersalis resurrectio erit. S. Matth. refert: *Monumenta fuisse aperta, et multa corpora dormientium resuscitata, et exeuntes e monumentis post resurrectionem Christi, ingressos esse in sanctam urbem, et apparuisse multis.* Matth. XXVIII. 52. 53. Audimus hic, corpora dormientium fuisse resuscitata, et homines (i. e. ani-

ani-